

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**M. Io. Henrici Ackeri Oratio Habita In Adventvm Novorvm  
Theologiae Professorvm In Templo Pavllino Academico**

**Acker, Johann Heinrich  
Ienae, MDCCVI.**

**VD18 15237435**

**Programma Orationi More In Academiis Consueto Praemissum.**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

PROGRAMMA  
ORATIONI  
MORE IN ACADEMIIS CONVENTO  
PRAEMISSVM.

# IO. CASPAR POSNERVS

NATVRALIVM PROFESSOR, ATQVE ORDINIS  
IAM SVI DECANVS.

LECTORI BENEVOLO.

S. P. D.



Vod redeunte in vitam vitæ nostræ  
ac salutis auspice Christo, herbæ quo-  
que ac arbores reuiuiscant, id vero in  
lætum merito a sanctissimis Patribus  
atque prosperum omen accipitur. Qui, si pro-  
stratum fere huc vsque THEOLOGORVM apud  
nos ORDINEM circa idem iam tempus restitui, &  
tanquam e mortuis excitari nobiscum viderent,  
auspicatis procul dubio signis atque auguriis hoc  
ipsum quoque adiicerent. Eo maius id certe ac  
excellentius cœlestis prouidentiæ munus est, quo  
maior & excellentior, quæ efflorescit sic denuo,  
Theologia existit. Quam nec satis laudare, ne-  
que capere satis, cuiquam in promtu est. Cum  
enim ceterarum, quas colimus, disciplinarum  
argumenta per naturam sint obvia; ea equidem,  
quæ ad Theologiam attinent, non nisi arcano Dei  
afflatu concipi aut manare ad alios potuerunt.  
Omnia, quæ in hac rerum vniuersitate cernuntur,

B 2 homi-

hominis causa, hominem vero æterni opificis gratia creatum esse didicimus. Ut autem in accuratorem Numinis cultusque diuini notitiam penetreremus, solius Theologiæ, humanos animos cum diuino copulantis, beneficio obtinetur. Quod si ea etiam, quæ sunt rationis ac vitæ expertia, ad perfectionem suam sibiique proprium finem ferri creduntur; mirum non est, ad disciplinæ illius, quæ per Dei cognitionem similes quodammodo Deos reddit, venerationem ac desiderium occulta nos quadam vi infixoque omnibus stimulo concitari. Non leue profecto aliquid aut vulgare in animo habuit ille post fata etiam immortalis ATHENÆI IENENSIS CONDITOR, DIVVS IOANNES FRIDERICVS, quando hoc sanctius ac diuinius scientiæ genus scopum academiæ vniuersitæ, & velut Cynosuram ac Helicen esse voluit, ad quam totus artium liberalium cursus dirigeretur. Sicut enim de Catone dictum meminimus, solum eum præ ceteris sapere plurimumque videre, ita omnes omnium studiorum magistri eo magis ad genuinæ sapientiæ laudem accedere iudicandi sunt, quo minus a puræ religionis placitis atque institutis recedunt. Compersum etiam in hunc diem usque habemus, cum stante

stante Theologico Ordine academiam nostram  
stetisse, cum cadente vero eodem ad prolapsio-  
nem pariter suam inclinasse. Quam inauspicata  
olim ac grauis Synergistarum illa atque Crypto-  
Calvinianorum tempestas, sicut sanctiori Colle-  
gio, ita toti huic prytaneo acciderit, istorum tem-  
porum annales loquuntur. Nuper non quidem  
hæresium, quas longissime a nobis exulare preca-  
mur, sed alio ingruente casu ac turbine, prope  
aberat, quin elato BECHMANNI funere, toti mox  
Ordini fatales quasi exequias ire oportet. Ex  
qua tempestate non tam reliquarum disciplina-  
rum fastigium, quam totius academiæ fundamen-  
tum labefactatum cum facultate Theologica at-  
que concussum veluti videbatur. Ne igitur peri-  
clitaretur amplius tam pretiosi ædificii moles, ac  
tandem corrueret; admouerunt cum Deo ma-  
num operi SERENISSIMI PRINCIPES, & dignis  
prosul virtute ac sapientia sua consiliis, præstan-  
tes pietate Theologos, atque tum aliarum scien-  
tiarum, tum istius cum primis scientiarum reginæ  
apicem consecutos, D. MICHAELM  
FOERTSCHIVM, & D. IO. FRAN-  
CISCVM BVDDEVVM, illum ex TVBIN-  
GENSR, hunc ex vicino HALENSIVM athenæo,

huc conuocarunt, quorum humeris salus apud  
nos Theologica, tanquam fulcris ac destinis nitet-  
retur. Ut autem in rarioribus ac diu multum-  
que exoptatis euentibus fieri solet, ad TANTORVM  
VIGORVM præsentiam, suauissimis gratulatio-  
num carminumque concentibus cuncta circumso-  
nant, atque plura, quam numerare sit facile,  
ominum ac faustarum vocum certamina vndiqua-  
que exaudiuntur. Multi in recens venientes  
THEOLOGOS tanquam in sacros Prometheos in-  
tuentur, coelestis veritatis ac sapientiae ignem non  
nisi ex cœlo deriuaturos. Alii soles IPSOS salu-  
tant ac sidera, spissam vitiorum atque errorum  
caliginem dissipatura. Sunt, qui Herculis quod-  
dam inuentum, feros atque discordes mortalium  
animos catena orationis aurea inter se vniensis,  
implecum iam iri, sibi iuxta & aliis pollicentur.  
Quamuis autem vis cunctorum augriorum &  
copia angustis adeo spatiis comprehendendi haud  
queat; prodibit tamen ad PROXIMVM IOVIS  
DIEM, HORA ANTE MERIDIEM X, ex meo-  
rum antehac auditorum corona, DIVINIORIS  
SCIENTIAE atque OMNIS LITTERARVM ELE-  
GANTIAE CLARISSIMVS CVLTOR, M. IO.  
HENRICVS ACKER GOTHANVS, P. L. C.  
nouis

nouis THEOLOGIAE PROFESSORIBVS oratione  
polita, atque ex promta memoria profluentibus  
vocibus, in templo Paullino omnium velut no-  
mine gratulaturus. Date quæso, MAGNIFICE  
ACADEMIAE PRO-RECTOR, ILLVSTRISSIMI  
COMITES, PROFESSORES EXCELLENTISSIMI,  
VENERABILES SACRORVM ANTISTITES, DOCTI-  
QUE AC BONI APVD NOS OMNES, tantillum  
temporis dignitati rei, & NOVVM QVASI THEO-  
LOGICAE FACVLTATIS NATALEM cum præ-  
stantissimo CIVE, qui tum aliis eruditionis exci-  
tatiue ingenii speciminibus, tum disputandi  
præcipue exercitiis, palmam sæpius in hac acade-  
mia reportauit, piis, vt par est, ominibus atque  
precibus celebrate. Cuius nos bonitatis & fau-  
oris memoriam gratam sanctamque seruabimus.  
P. P. Prima Feriarum Paschalium, A. O. R.  
CIO IO CCV.



